

Part of a Letter to one of the Secr. of the R. Society, from the Learned Dr Salomon Reifelius, Chief Physician to the Duke of Wirtemberg; concerning the Siphon Wirtembergicus Stuttgardia. 8. Oct. S. V. 1685.

STatim atque vestras 4 Junii datas vidit Serenissimus *Princeps* meus; in quibus communicas Vestra Experimenta in Siphone Vitreo decem pedum; scire desideras quantum temporis sit duraturus Siphonis fluxus nostri; das consilium pro extrahendis bullulis in Siphone collectis, quæ fluxum possint sufflaminare; speras Serenissimum *Ducem* passurum, ut & vobis & Orbi toti exponatur artificium Machinæ suæ: Jussit Typis manifestare secretam sui Siphonis structuram, imprimis postquam paulo ante rescivisset Socium aliquem vestrum ex mandato *Societatis Regiæ* imitatum esse eosdem effectus, & Phænomena sui Siphonis. Quod hisce jam Nundinis præteritis *Frankofurtensibus* factum esset, nisi prius voluissent in altitudinem & amplitudinem insignem & satis utilem elevare; quandoquidem à Vidua *Jordani* & alio Oculato Teste audivi, ipsum ad quinquaginta quatuor pedes in domo sua exaltasse cum fluxu & refluxu, cujus Vestigia ipse observavi, cum altitudinem metirer; quam vero altitudinem transcendere hætenus propter varia impedimenta & negotia nondum fuit concessum.

Ne vero diutius *Serenissimæ Societatis* desiderium frustrer, aut morarer, fateor excellentissimi *Dni. Dri. Papin* Siphonem ipsissimum esse *Wirtembergicum*, etiam cum recurvatione pedum factum; neque aliud esse mysterium ut *Inventor* ipse scripsit, in summitate, quam quod per infundibulum debeat impleri, sine qua implezione non potest transfluere. Quod proxime Typis
amplius

amplius confirmabitur, quia longum nimis esset & tædiosum hic omnia scribere.

Ast ut in præsentī ostendam me hæcenus nonnihil laborasse circa Siphonis effectus ; ecce inter Experimentandum, hoc quoque mihi occurrit ; ut didicerim, quomodo in Vertice vel ad latera possit effluere ; quod hæcenus multi promissere, vix quisquam effecit ; sed quod Principi meo serenissimo ostendi, & promittere audeo ; me in quavis possibili Elevatione & transfluxu velle exhaurire aquam in Summitate vel ad latera, in posterum aperiam, quando per plura experimenta tam altitudinis quam continuationis certior redditus fuero.

Quid apud vos hæcenus sit tentatum, & quousque sit progressus D^r. *Papin*, expecto à tua liberalitate : Interim per compendii modum vidi *Papiniani* Siphonis figuram & Descriptionem in mense Majo Novellarum Reip. Literariæ *Amsterodami* excusarum, cui gratulor de tam felici imitamine, &c.
